

Lorenz Bodock

**Rector Universitatis Rostochiensis Laurentius Bodock, Ph. U.I.D. ... Ad Funus Viri
... Dn. Matthaei Röseler/ Civis Rostochiensis praecipui, Quod Coniunx
Maestissima cum afflictissimis Liberis Hodierna ... solenniter parabit; Omnes
Universitatis huius Cives ac Fautores ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1661

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777423049>


Druck Freier  Zugang




Bodock L
in
M. Röseler.

Rost. 1661. /a

9





RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
LAURENTIUS BODOCK,
Ph. U. J. D. Consiliarius Mecklenburgi-
cus. Academ. Orator, Colleg. Philos. Senior.

AD FUNUS

VIRI

Amplissimi, ac Laudatissimi

DN. MATTHÆI

Röseler/

Civis Rostochiensis præcipui,

Quod

Conjux Mæstissima cum afflictissimis

Liberis

HODIERNA HORA PRIMA

decentissime ac solenniter parabit;

Omnes Universitatis hujus Cives ac Fau-
viores peramanter ac officiosè invitat.



ROSTOCHII,


Typis JOHANNIS KILII Acad. Typogr. Anno 1661.



RECTOR
 UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
 LAURENTIUS BODOCK, Ph. U. J. D.
 S. P. D.

MAxima profectò in Gentilib9 rerum mundanarum est
 sapientia; & in primis ubi miseriam humanam, aut, quam
 nauci & nihili, quoad sequiorē nostri partē, mortales
 simus, secum agitant, ad eò compositè verèq; scribunt,
 ac loquuntur, uti sacramento firmes, elegantius neminem po-
 tuisse vel ex eorum numero, quibus calamum tinxit, ac verba
 prævit ipse SPIRITUS. Ecce! quàm eximii, nostro quidem
 sunt iudicio, versus illi Comitorum Principis, & γνωμικωπάτης
 MENANDRI Atheniensis, qui BONORUM quidam commen-
 tarius, & ORBIS DOCTOR jam pridem vel Maximis Viris, suo
 merito ac iure optimo, vōcitatur.

Ὅταν εἰδέναι θελήσῃ σαυτὴν ὅστις εἶ,
 ἔμβλεψον εἰς τὴν μνήμην ὡς ὁδοῦ πορεύεις.
 Ἐν ταύτῃ, εἴεσιν ὅσα καὶ κούφη κενεῖς
 Ἄνδρῶν βασιλέων, καὶ τρεῖνῶν, καὶ σοφῶν
 καὶ μεγαφρονέων ἵπτι γένει καὶ χερίμασιν,
 αὐτῶν τε δόξη καὶ καλῶ τῶν σαματῶν.
 Καὶ ἄδεν αὐτῶν ἴδ' ἐπήκεσε χερόν σου.
 Καινὸν τὴν ἄδην ἔχον οἱ πάντες βροταί.
 Πρὸς ταῦθ' ὁρῶν γίνωσκε σαυτὴν ὅστις εἶ.



Novisse

*Novisse si vis, qualis aut quisnam sis,
 Hominum sepulchra, dum peregris, inspicere
 His ossa, pulvis atq; inanis clauditur
 Regum, Tyrannorum, & Virum sapientium
 Superbientumq; opibus & propagine,
 Suamq; gloria atq; formam Corporis:
 Et tamen eorum tempori nil restitit.
 Communis est Dis omnibus mortalibus.
 Hec intueri, & discito qualis sis.*

Nihil istis vel excogitari quicquam poterat præclarius. Sanè enim quibus nasci contigit, iisdem subire finem olim necesse est. *Quicquid habet ortus, & obitus timet.* Et licet discrimen ali- quod inter nos nunc quidem fortuna, nunc potentia & opes nunc virtus præstantiaq; animi faciant, hac ferrea tamen, ut ita loquamur, necessitatis lege damnamur omnes, ut moriendum tandem sit, & excedendum theatro, in quo hactenus egimus partes. Et si verò quibusdam longior, perpetua tamen vita nemini contingit. Quod solum proprium DEI est, & quas secundo gradu posuit DEUS, mentium æternarum. Quibus proximè nexæ animæ sunt nostræ; quas ut ad sui imaginem condidit rerum opifex, sic immortales etiam voluit esse. Quod nec ipsum ignoratum Gentilibus est. Præclare quidem consuluit DEUS humano generi, inventis tot rebus, quibus tueri valetudinem ac profligare morbos liceat; sed suus cuique fixus est terminus tamen, ad quem simul proveci sumus, nihil omninò humanæ artes, nihil herbarum ingenia ac virtutes possunt,

*Εὐ ἀθανάτους ἦν ὁ σώσας ἄλλον ἐν νόσῳ,
 Σώσας νόσῳ πάντας αὐτὸς ἀπεθάνατο νόσων;*

ait iterum Comicus ille celebratior vetustiorq;

*Servare morbo si quis alterum queat,
 Servator ipse quomodo possit mori?*

Quantum ad hodiernam lucem attinet, Terræ matri in eâ com-
 menda-

mendatur Vir Spectatissimus ac Integerrimus DN. MATTHÆUS *Köselers*; Qui paucos ante dies vitam finivit, seculoq; ut *Tertullianus* loqui amat digressus est, clarissimo documento ipse quoq; ostendens, mortalitatem corpori humano inesse, nullâq; ope aut industriâ humanâ vel sisti ultima fata, vel declinari posse. Cùm itaq; eò redacti jam necessitatis simus, ut Eximio SE-NE carendum deinceps sit, danda cùm maximè est opera, uti animi ejus virtutumq; imaginem nobiscum retineamus, quam in vitâ ipsius & moribus contemplati sumus. Quæ enim melior egregiis viris referri gratia queat, quàm cùm eorum, postquam obierunt diem, venerabiliter, uti ille ait, recordamur? Quare de NOSTO breviter, & ut temporis ratio feret, nunc exponemus, quæ accepimus; inde ducturi initium, undè vitæ exordiū ipsi fuit. Editus itaq; in lucem est Anno superioris seculi 96. ipso MATTHÆI die, i. e. 21. Septemb. Patre quidem cognomine MATTHÆO *Köselers*/ Viro Eximio honoratissimoq;; Matre verò CATHARINA *Neuters*/ lectissimâ ac ornatissimâ Fœminâ. Avus paternus fuit Amplissimus ac Consultissimus Vir, DN. GEORGIUS *Köselers*/ qui Lusatiâ, & ex Urbe Lucensi quidem, oriundus, cùm Fratre MATTHÆO, studiorum gratiâ, huc venit, & uterq; J. U. D. creatus, GEORGIUS verò etiam REIP. hujus Syndicus constitutus est. Avus maternus extitit DN. JOACHIMUS *Neuter*/ eximia vitæ famæq; VIR; adeoq; inter præcipuos semper habitus. Avia materna *Zilsche Nettelblades*/ & familiæ præstantiâ, & virtutum splendore coruscans. Ulterius profapiam ducere nil attinet; & verò nec præscripserunt de reliquis majoribus plura, qui suppeditare cætero qui debebant. Quum Baptismo lotus, ac per eundem nova creatura Regniq; DEI certissimus hærus factus fuisset, & dein temporis ratio unquam passura esse videretur, assvescit sese, ductu piissimorum Parentum, omni virtuti ac morum elegantia, quæ tantò in ipso paratior erat, quantò indoles ei contigerat, aut natura felicior.

Cæterum

-55050

Cæterum sexenni Patris intercepta per mortem usura est. Id quod rebus ipsius nimio opere incommodavit, & satis triste eidem fatum fuit. Mater verò, lugubri anno exacto, ad secunda transiit vota, atq; honoratissimo Viro, JOANNI Reddelin/ auspiciatò nupta est. Qui ipse erga NOSTRUM, non uti circa privignos fieri cæteroqui sivevit, animo alieniore, sed planè paternò inventus, tam oppidanæ huic Scholæ, quàm privatis etiam Præceptoribus fingendum formandumq; dedit, usq; dùm sedecim annorum foret. Abs quo tempore in Cancellariâ Sverinensi, apud Serenissimi Principis ADOLPHI FRIDERICI, beatissimæ memoriæ, Camera Secretarium fidelissimè serviit, usq; in Annum 1614. Quo ipso piè defunctus Affinis ejus Vir Amplissimus & Excellentissimus, DN. THEODORUS MEJER, J.U.D. & dicti jam Celsissimi Principis Consiliarius Clarissimus, *Gryphiswaldiam* eundem evocavit, uti eò ibi rectius studiis suis operaretur. Hæsitq; eâ in Academia ad 26. usq; ætatis annum. Post dicti DN. Affinis domo consortioq; ad integrum octennium. usus, adeoq; ibidem probè formatus, belleq; habitus est, uti, ob tot in se collata beneficia, diligere meritò istum VIRUM, & tanquam alterum Parentem venerari habuerit. Anno 1622. Quum Oeconomiam administrandæ amore teneretur NOSTER, præfecturæ in *Gadebusch* / Scriba constitutus est, gnaviterque eam provinciam per biennium exornavit. Dein abs jam bis nominatò Serenissimo Principe *Domitzii* teloniorum præfectus, Culinæque (uti hic loquimur) Præses factus, perque quadriennium iisdem officiis laudatissimè functus est. Anno 1628. Cælo ipso disponente, consentienteq; summò Principe, ad Matrimonium adjecit animum, duxitq; Conjugem SOPHIAM *Stenebans* / lectissimam Virginem, DN. DAVIDIS *Sienebans* / in Præfecturâ *Domitzensi* Decessoris sui Filiam unicam. Qui ipse & pacatus torus, & verò etiam sæcundus extitit, ut ex quo binifilii, quatuorq; filia nascerentur. E filiabus his ipsis

CATHA

CATHARINA natu grandior, prodiit Anno 1629. die 19, Febr. sed originem statim post acceptum Baptismum repetiit suam, cœloq; undè venerat, redonata est. Sequitur ANNA, Reverendo, Amplissimo & Excellentissimo DN. BERNHARDO GOSMANNŌ, S. S. Th. D. Physicesq; antehac, ac Metaphysices in Academiâ nostrâ Professori Celeberrimo, Collegæ honorando; nunc verò ad D. NICOLAI apud *Stralsunder* ProtEcclesiastæ & Consistorii Adfessori benemerentissimo, nuptum data; Ornatissima Fœmina, præsensq; Parentis funus secutura, exquisitissimè idem ipsum deplorans. Tertia EVA est, quæ Anno 1631. die 23. Julii nata, mox denata est, numerumq; plurium adauxit. E Filiis primus est JOANNES-FRIDERICUS, Eximius Juvenis, ac L.L. Studiosus industrius, qui per DEI gratiam superstitat, obq; functum parentem non minus, ac quivis suorum alius, tristatur. Alter MATHÆUS, ipse quoq; non segniori ad virtutem grassatus viâ; sed quem ab eo conanime, medioq; studiorum cursu, ante semestre, inopina mors abstraxit. Ultima filiarum est, virginum decus atque ornamentum; SOPHIA & vivens, & præsens, & pariter ex Parentis casu luctu plenissima. Porro Anno 1637. die 9. August. fidelissima tori consorte exuebatur, per mortem, NOSTER, maximumq; rerum indè suarum detrimentum sentiebat. Sed eo non obstante, viduitatem nihilominus aliquamdiu amplexus, in *Holsatiam*, habitandi gratiâ, concessit. Quùm autem tandem intelligeret, se non ampliùs dirigendæ domui, aut administrandæ rei familiari solum sufficere, alteris nuptiis (in quas nonnemo in antiquâ Ecclesiâ justo fuit iniquior) sese implicuit, duxitq; MAGDALENAM *Rungen*/ præstantissimâ Matronam, Prudentissimi ac Spectatissimi DN. VALENTINI STRELENIÏ relictam viduam. Quæ copula ut vel maximè improlis fuerit, unanimis tamen, & quietissima exitit, quando alter alterum mutuâ benivolentia, conjugiali amore,

amore, & nescio quibus non officiis demerebatur. Anno 1647
Ex *Holsatiâ* redux circa ROSTOCHIUM commoratus potissi-
mam est partem. Anno 651. in Serenissimi Brandeburgensium
Marchionis ditionem sese contulit, ibidemq; ad annum 660.
permanit, usq; dum ob temporum diritatem, & feralem
tempestatem, quæ ista loca concutiebat, ad *Parcbimensium* sese
convertere Urbem, & ad nos porro flectere cursum cogeretur.
Signavimus breviter Historiam vitæ ROSELERI nostri; jam de
obitu quoque ejusdem Morteq; nonnihil commentaturi.
Propter ingruens senium, & ob tot exantlatos labores, devora-
tasque molestias, infirmari quotidie sese, viresq; imminui vide-
bat. Et quum vertiginis, quâ identidem impetebatur, vitium
accederet, facile augurabatur, de se quid futurum brevi esset.
Quocirca princeps eijam semper cura fuit, uti ad beatum ex
hac vitâ discessum sese prepararet. Quâ fini, sacrorum quic-
quid poterat librorum & conquisivit, & lectitavit studiosissime,
& cæteroque nihil omninò omisit earum rerum, quæ sanctissimo
proposito servituræ esse viderentur. Inprimis DN. ARNDII,
maximi temporibus nostris pietatis Magistri, cælestes de *vero*
Christianismo libros, ter quaterve inusitatâ industriâ pervolutasse
accepimus. Inter hæc opera, has inter meditationes, com-
muni sibi, uti diximus, vertiginis vitio, & accedente apople-
xiâ, die 8. hujus Octobr. circa 7. matut. oppressus, & post pau-
cas dein horas beatissime demortuus est; postquam 65. annos,
2. septimanas, ac 5. dies vivendo fecisset. CONSERVATOR,
cujus meritis unice fesus est, immarcessibilem jam ei coronam
illam imponit, quæ omnes manet, qui perseverarint in fide
in ipsum adusque finem. Nos quidem sanè de sanctimonia
VIRI paucula saltem adscripsimus; Cæterum quanta in eo
pietas, reverentiaque Numinis semper fuerit, iis præcipue in-
notuit, qui interiorem ipsius vitam, & qualis maximè domi erat
contemplati fuere. Nam ut in cæteris rebus mirè alienus al-
osten


ostentatione omni erat nihilq; omninò simulabat; ita cum,
morem in divinis maximè detestabatur. De sobrietate homi-
nis ac temperantiâ, dicendum non est, quæ hodiè inter virtutes
vix tenet locum. Nec de candore etiam, quem pleriq; nunc
pro ruditate atq; inscitiâ habent. Cæterùm cum reliquæ
optimi SENIS à meridie horâ I. solenni more componendæ
sint, vestrum erit, CIVES ACADEMICI, frequentes ad obeun-
dam provinciam convenire, & hoc ipsum VIRI funus cumula-
tissimè exequi. Declaraturi eâ in parte tum, quàm verè de ejus-
dem virtutibus existimetis, tum etiam quam observantes & stu-
diosi erga superstitem esse familiam annitami. Quare non
tantum monemus, verùm etiam hortamur, uti strenuè
hic peragatis officium, quod ipsa vobis honestas
pietasque imponit.


P. P. sub Sigillo RECTORATUS die 22. Octobr.


Anno 1661.

Convenietur in Æde Beatissimæ Virgi-
ni Sacrà, horâ prima.












Cæterum sexenni Patris intercepta per mortem
quod rebus ipsius nimio perè incommodavit, & fa-
factum fuit. Mater verò, lugubri anno exacto
transiit vota, atq; honoratissimo Viro, JOANN
spicatò nupta est. Qui ipse erga NOSTRUM,
privignos fieri cætero qui sœvit, animo alieniore
terno inventus, tam oppidanæ huic Scholæ, quàm
Præceptoribus fingendum formandumq; dedit,
cüm annorum foret. Abs quo tempore in Can-
nensi, apud Serenissimi Principis ADOLPHI ER-
tissimæ memoriæ, Cameræ Secretarium fidelissi-
in Annum 1614. Quo ipso piè defunctus Affinis e-
simus & Excellentissimus, DN. THEODORUS M
& dicti jam Celsissimi Principis Consiliarius Cla-
ph/valdiam eundem evocavit, uti eò ibi rectius f-
raretur. Hæsitq; eâ in Academiâ ad 26. usq; ata
dicti DN. Affinis domo consortioq; ad integrum
usus, adeoq; ibidem probè formatus, belleq; h-
ob tot in se collata beneficia, diligere meritò is-
& tanquam alterum Parentem venerari habue-
Quum Oeconomix administrandæ amore tener-
præfecturæ in *Gadebusch* / Scriba constitutus est
eam provinciam per biennium exornavit. D
nominato Serenissimo Principe *Domitzi* telo-
ctus, Culinæ que (uti hic loquimur) Præses factu-
driennium iisdem officiis laudatissimè functu-
1628. Cælo ipso disponente, consentienteq; sum-
Matrimonium adjecit animum, duxitq; Conjug
Stenebans / lectissimam Virginem, DN. DA
bans / in Præfecturâ *Dömitzensi* Decessoris sui F
Qui ipse & pacatus torus, & verò etiam sæcund-
quò binifilii, quatuorq; filix nascerentur. E



the scale towards docum

Id
em
la
au-
ca
pa-
am
de-
cri-
ea-
isq;
lif-
D.
ry-
pe-
ost
am.
uti,
M,
622.
ER,
ue
n bis
æfe-
qua-
anno
, ad
IAM
ienes
am.
at ex
iphs
HA